



*Baron  
ad dictum  
147  
only copy printed  
Vienna Impf Library*



John Carter Brown  
Library  
Brown University




to Dryander von Eichmann

Peter Aspin

C O S M O /  
GRAPHIAE INTRO  
DVCTIO, CVM Q VI-  
busdam Geometriæ ac Astro-  
nomiæ principijs, ad eam rēm  
necessarijs.



Coloniæ Hæredes Gymnici excude-  
bant, Anno. M. D. XLIII



EXERCITATISSIMO PRAESTANTISSIMO QVE VIT-  
ro, Wolfgango Siboto Hesso, ar-  
tium Magistro, Græcarum litera-  
rum professori Lypensi, Adfis  
ni suo suauissimo: Ioannes  
Dryander S. D.



V O animo ego semper adfe-  
ctus fuerim in mathematica -  
rum rerum studia, aliquando  
coram ex me audiuisse potes,  
suauissime adfinis. Seculi hu-  
ius fœlicior successus in proue-  
hendis literis bonis, certatim ab omnibus, quod par-  
est, commendatur, ueteribus, si non apposite, tamen  
non inepte, totum studiorum negocium in Triuiū &  
Quadruuium, esse dissectum, tantū abest, ut damna-  
re queam partitionem, ut maximē etiam approbem,  
modo ex suis ordo, ex progrediēdi in artibus gradus,  
non intermitterentur. Quid enim conueniebat homi-  
ni liberaliter instituendo, magis, quam hisce quæ

A 2 linguae

## COSMOGRAPH.

linguam expoliunt, absolutis artibus, ea quæ philosophiæ perdiscendæ, certissimum aditum præberent, artes puto Quadruiiales, in quibus & mathemati-  
ca præcipue continentur, adiungere. Non probatur itaq; iudicium quorundam, qui hodie concredita-  
suæ institutioni, liberalia ingenia, ita Triuio exer-  
cent, ut quadruij, aut ieunam aut plane nullam  
habeant rationem, mirè sibi blandientes, si fœlici poe-  
nu linguarum adepto, ornatè & splendide oratio-  
nem proferre eandemq; uel Rhetorum flosculis exor-  
nare, uel Dialecticorum dilemmatis robore no-  
runt, reliqua respouunt. Qui error ut proclius est  
multis, ita non parum detrimenti, adsequendæ phi-  
losophiæ, & administrandæ Reipub. affundere pu-  
to. Et ut reliquas quadriuji artes, Musicā & Astro-  
nomiam taceam, quid rerum instituet, quo ordine ue-  
terum monumenta percipiet, Geometriæ & Arithme-  
tices ignarus tyrunculus? Quæ ueterum enim insti-  
tutione, à teneris annis, per lusum quasi instillaban-  
tur artes Quadruij & Mathematics, eas nos ho-  
die grandæui præterimus. Quanto olim Mathema-  
ta in quotidiano usu sint habita, paßim est uidere,  
apud Aristotelem, Platonem, Galenum, qui, quo cer-  
tius demonstrarent, ab Euclidis rudimentorum li-  
bris petitis lemmatibus, deq; circulis, angulis, qua-  
drangulis paßim sua fulciunt, quæ hodiè, nisi qui  
probè

## INTRODVCT.

probè in rebus mathematicis institutus sit, non facile intelliget, quod incommodum, ut perscrutandis veterum monumentis est frequens. Ita (quod suprà diximus) Reipub. administrandæ, siue etiam priuatis commodis consulendo, parum effeceris mathematicarum rerum imperitus. Ut enim sunt instituendarum rerum communium, uel priuatarum rationes, aliae atq; aliae pro locorum, temporis, atq; personarum modulo, mutandæ: Ita præexercitatum animum in hisce artibus, summopere requirunt. Tua itaq; optime adfinis, qua tibi concreditos erudire soles, bonæ spei adolescentes, institutio summopere mihi placet, ut ex æquo & Triuiales & Quadruuiales tradas artes, idq; mox à grammaticis inculcatis regulis incipias. Tradendis autem mathematicis, cum perpetuò hæc disciplina circa ποδεῖα, ueretur, demonstrationes uero, certa quædam instrumenta, ut sunt Quadrantes, Sphærae, Globi, Rotulae Astrolabia, Cylindri requirant. Nihil aut parū profici posse, sine instrumentis, cum uiderem, & bonam partem iuuentutis, eo nomine artem minus percipere posse, animaduerterem. Primo ad fabricanda, & perficienda instrumenta, animum adieci fratrem, quem ex docta manu & ingenio acri pollere noueram, ad perficienda instrumenta, instituo, ego ingenium & artem subministro, ille manum adjicit &

## COSMOGRAPH.

opera perficienda absoluīt. Prodit, utriusq; opera,  
utriusq; artis, uidelicet Astronomiae atq; Cosmogra-  
phiæ, Instrumentum, unā cum adpositis cononibus,  
Ibi cum, quot capita tot & sensus esse cogitarem, ali  
osq; alijs formis instrumentorum oblectari cognosce-  
rem, mox tam cœli quam terræ, triplici forma &  
quantitate ( idq; non sine modico sumptu & labore  
factum ) Instrumenta excudere cœpimus. Prima  
forma taurinum, secunda humanum, tertia infan-  
tis caput, quantitate sua exprimit cuique instru-  
mento, suæ lineæ, suæ formæ, & ornamenum pi-  
cturæ, & quod ad artificium attinet, omnia sunt  
adiecta. Eaq; omnia, pro captu, studiosorum sunt co-  
optata, ut delectu instrumentorum habito, etiam mi-  
nus pecuniosi & tenuioris fortune, à comparandis  
instrumentis, excludi nequeant. Nec enim cuiusq; fa-  
cilitatē ferre posse arbitror, preciosiora, atq; magno  
sumptu adparata instrumenta commercari. Neq; ta-  
men & hic cessatum est à nobis, cum pro ornamento  
Academiarum Lypensis, & Vitembergensis, insi-  
gnis magnitudinis, duarū ulnarum plus minus, diamet-  
ro occupate quantitatem, binos globos Astriferos,  
picturis, figuris, circulis, & omnibus tā pro orname-  
to quam pro usu instrumenti necessarijs absoluimus.  
Astriferi Globi, in fratribus & aliorū lingue Latinae  
ignarorū gratiā Canones eadē lingua, quinquēnium

ante

## INTRODVCT.

antè absoluimus. Quos Latinitati donatos, reuocare coacti, hoc, quod hic uides, Cosmographiae Introductionis opusculum damus, autoris nomen me plane fugit, nisi quod Ingolstadij prius excusus liber, arguemento esse potest, ex Petri Apiani doctissima & elaboratissima officina prodijisse. Quem librum, cum compendio Cosmographiae rudimenta & succincte & doctè tradat, Terrestri nostro Globo explicando, recipiendum putamus, eius quicquid est laboris tibi dedicando, quem impensisimè, non solùm mathe maticarum rerum optimis instrumentis, sed & doctissimis librīs (quibus utrisq; comparandis, nullo sumptui parcis) oblectari nouimus. Tritiorem itaq; mi adfinis, tuam scholam fac, utrungq; instrumentum explicando, quibus ludicra illa de Quadrante, Cylindro, Nocturnali, & Compasso, uulgo ita uocato horologio, nugandi gratia adiucere potes, abundē mihi laborem rependeris, si te & tuos, plurimum mea opera, & institutione, profecisse cognoscere queam. Vale ornatisime uir. D. Licentiatum Casparum Zieglerum. D. Ioachimum Camerarium. D. Casp. Borneum. M. Ioannem Vuestemborg, concionatorem & pium & doctum, & reliquos mei studiosos, ex me officiosissimè salutabis. Data  
Marpurgi, Calend. Maij.  
Anno &c. XLIII.

IN QVO  
DIFFERAT GEO-  
GRAPHIA A CHORO  
graphia. Caput I.



E O G R A P H I A :  
authore Ptolemæo : imitatio  
est picturæ totius partis terræ  
cognitæ, cum ijs, quæ sibi qua-  
si uniuersaliter sunt annexa.

Differt autem à Chorogra-  
phia: nam illa per partes loca resecat, seorsumq; sin-  
gula & unumquodque iuxta se constituit, ac fermè  
omnia etiam minutissima illa, quæ deprehendere pos-  
simus describit, ueluti portus, uicos, populos, riuulo-  
rum quoq; decursus, & quæcunq; alia illis finitima:  
ut sunt, ædificia, domus, turre, moenia, & cætera.  
Geographiæ autem proprium est, unam & conti-  
nuam terram cum partibus eius præcipuis formula  
quadam ac picturæ imitatione ostendere, quemadmo-  
dum se habeat natura & positione: eaq; solùm in  
omnino deprehensibilibus uersatur descripti-  
onibus, ueluti finum & ciuitatum, magnarum  
gentium quoq; & fluuiorum, nec non circa ea  
quæ secundum speciem uniuscuiusq; sunt insigniora.

DE

## INTRODVCT.

De quibusdam cognitu necessarijs ad intelligendum Geographiam.

## Caput II.

Volens degustare negotium illud, in primis  
Geographicæ discipline & Astronomie  
principia perquirat, Sphæræ scilicet circulos cognoscendo, quibus tota utitur Geographia: quod ex sequentibus brevissimè expediet quisq;.

### DEFINITIO PRIMA.

Punctus est quid indivisiile: uel cuius non  
est aliqua pars, que uisu percipiatur.

2 Terminus est, quod cuiusq; finis est.

3 Linea est longitudo illatabilis: cuius extrema  
sunt duo puncta, si finita intelligatur.

4 Linea recta, est que ex æquali sua interiacet si-  
gna.

5 Lineæ parallelæ, que in eodem existentes plano,  
contactum non admittunt: etiam si in infinitum pro-  
ducerentur.

6 Superficies est, que longitudinem latitudinemque  
tantum habet, cuius extrema quidem sunt lineæ.

7 Superficies plana, est que ex æquali inter suas  
interiacet lineas.

8 Angulus planus, est duarum linearum in plano

A S sepe

COSMOGRAPH.

ſeſe tangētum: & non indirecto iacentium ad alterum inclinatio.

9 Quando autem que angulum continent linea rectæ fuerint, rectilineus angulus nuncupatur.

10 Cum uero linea recta super rectam consistens lineam utrobiq; angulos æquales ad inuicem fecerit rectus est uterq; & equalium angulorum: & que superstat recta linea, perpendicularis uocatur, super qua ſteterit.

11 Angulus ſphericalis, est angulus corporis ſphæri ci, & diuiditur ſicut angulus ſuperficialis in rectum & obliquum &cæt.

12 Obtusus angulus recto maior est.

13 Acutus uero minor est recto.

14 Figura ſub aliquo, uel aliquibus terminis comprehenditur.

15 Circulus est figura plana, una quidem in orbem ducta linea contenta, que circumferentia ac περιφέρεια appellatur: ad quam ab uno signo introrsum medio exiſtente omnes prodeuentes linea in ipsiusq; circuli circumferentiam incidentes ad inuicem ſunt æquales.

16 Centrum, est punctus in medio circuli, à quo omnes linea ad circumferentiam ductæ inter ſe ſunt æquales.

17 Dimetiens circuli, est recta quædam linea per centrum

## INTRODVCT.

centrum acta: & ex utraq; parte in circuli circumferentiam terminata, quæ circulū bifariam dispescit.

18 Semicirculus, est figura, quæ sub dimetiente & ea quæ ex ipsa circuli circumferentia sublata est, continetur.

19 Sectio circuli, est figura, quæ sub recta linea & circuli circumferentia aut maiore aut minore semicirculo continetur.

20 Rectilineæ figure, sunt quæ sub rectis lineis continentur, ut trilateræ, quæ sub tribus rectis continentur lineis: Quadrilateræ, quæ sub quatuor comprehenduntur rectis lineis, &cæt.

21 Solidum est quod longitudinem, latitudinem & crassitudinem habet. Solidi uero terminus superficies est.

22 Solidus angulus est, qui sub pluribus duabus planis angulis comprehenditur, non existentibus in eodem plano, ad unum signum constitutis.

23 Sphæra est orbis effigies & à Theodosio sic describitur: Sphæra est solidum quoddā una superficie contentum: in cuius medio signum est, à quo lineæ omnes ad superficiem eius & inter se sunt æquales.

De forma Mundi, ac circulis  
Sphæræ ex quibus Cosmographiæ  
dependet ratio.

Caput

## COSMOGRAPH.

### Caput III.

**C**osmographia est mundi, quæ ex quatuor clementis: terra, aqua, aëre & igne: Sole quoq; luna, & omnibus stellis] constat, & quicquid cœli circumflexu tegitur, descriptio. In primis enim contemplatur circulos, ex quibus illa supercœlestis Sphæra componi intelligitur. Deinde ex ipsorum distinctione, terrarum illis subiectarum situs & locorum symmetriam rationem insuper climatum, dierum noctiumq; diuerditates. Quatuor mundi cardines. Stellarum quoq; fixarum nec non errantium, motus, ortus & occasus, in quibus uerticales mouentur, & quæcunq; ad cœli rationem, ut Poli eleuationes, parallelos & meridianos circulos &c. iuxta mathemáticas ostensiones demonstrat. Eoq; nomine à Geographia differt, quod terram distinguit tantum per circulos cœli, non per montes, maria & flumina &c. Geographia, est terræ præcipuarum ac cognitarum partium, quatenus ex eis, totus, cognitusq; terrarum orbis constituitur, forma quædam ac picturæ imitatione. Chorographia uero (quæ & topographia dicitur) partilia quædam loca, scorsum ac obsolete considerat, absq; earum ad se inuicem & ad uniuersum terræ ambitum comparatione. De terræ autem universo globo & substantia, noueris insigniter errare

## INTRODVCT.

¶ decipi eos, qui eam extare super undas, ut pomum natans, aut leuem quempiam ex ligno globum undis innatantem putant, hoc enim modo, multa falsa forent, quorum deprehensa ueritas est. Terra ergo superficiem, quæ extra undas eminet, ita eminere credamus, ut ex ea & circumfluentibus undis corpus rotundum in sece undique recurrens efficiatur. De Mundi & eius uniuersali diuisione hactenus: quæ in Sphæra siue Globo ulterius considerantur, uidenda.

## Quid Axis & Mundi polus.

Axis sphærae, est dimetiens ipsius, circa quam voluitur. Poli mundi, qui & uertices & cardines dicuntur: sunt duo puncta cœli, axem terminantia: ita fixa, ut nunquam moueantur: quorum qui Borealis est ὁρίζεις, id est, ursinus uocatur, nunquam occidens, semper conspicitur: alter autem οὐτικός hoc est, arctico oppositus, qui terræ obiectu à nobis cerni non potest. Sunt præterea duo alij poli in sphæra, qui poli zodiaci dicuntur, Arcticum & Antarcticū circulos describentes, de quibus infra.

## De decem circulis, quos in cœlo Astrologi imaginantur.

Duplices sunt circuli in sphæra: non reuera quædem existentes, sed imaginabiles: maiores uidelicet,

¶

## COSMOGRAPH.

Bus 25 minutis primis 30. ferè. Dicitus est autem hic obliquus circulus quòd & quidistantes ad æquales angulos intersecet. Signa, in quæ diuiditur duodena sunt: quorum Aries, Taurus, Gemini, uerno tempore adscribuntur: Cancer, Leo, Virgo, & statim: Libra, Scorpio, Sagittarius autumno: Capricornus, Aquarius atq; pisces, hyemi. Quodlibet itaq; signū in trigenos gradus, quos & partes nominant astrologi: gradum in sexaginta minuta. hæc in secunda, tertia, quarta, atq; id genus sectiones deinceps diuidunt. Totus ergo circuitus partes tricenas & sexagenas cominet.

Characteres & nomina signorum  
Septentrionalium.

V      ♀      II      ♀      ♈      ♑  
Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,

Characteres & nomina signorum  
Meridionalium.

≡      m      d      †      ≡      X  
Libra, Scorp. Sagittar. Capric. Aquar. Pisces.

De Finiente.

Finiens seu finitor, quem Græci horizonta appellant, est circulus maior, qui conspectam mundi partem ab inconspecta dirimit, ac uniuersam sphaeram in

## INTRODVCT.

in duas & quas partes secat. Hic sub equatore rectus, in alijs latitudinum notis obliquus dicitur. Est autem horizon duplex, alter qui sensu usurpatur, alter qui sola ratione percipitur. Ergo sensibilis horizon est, qui à nostro uisu in termino uisionis circumscribitur. natura  
50Hic adeò non amplius duum milium stadiorum dimetientem habet. Qui autem ratione percipitur, ad primum mobile pertinet, mundumq; totum in duo secat. Nec uero per omnem tractum urbem ue, idem horizon est: sed sensu idem quadringentis ferè stadijs manet. Quo fit, ut dierum longitudo & clima & apparentia omnes euariantur. Ea ratio ne in sphærarum descriptione horizon non adhibetur, quod reliqui circuli omnes ab ortu ad occasum circumacto mundo una rapiuntur. Horizon suapte natura quietem amat, eodemq; semper seruato situ: ob id non incomodè situs eius ab alueo, in quo sphæra armillaris reuoluitur, intelligi solet. Et omnium horizontum, capit is uer tex, polus dicitur. Nam tale punctum omniquaq; ab finitore & quidistat.

## De Meridiano circulo.

Meridianus, est circulus maior per punctum uerticis, qui zenith dicitur, & polos mundi transiens. In quem cum sol incidit, medios dies, mediasq; noctes efficit. Hic etiam circulus, immotus in mundo

## COSMOGRAPH.

est. Nisi circuli huius naturam exactè cognoueris,  
haud facilè longitudinum, urbium' ue distantiam,  
quam definit, intelligas. Porrò obseruatione dignum  
circulos hos non nisi inter ortum atq; occasum mu-  
tari: & ob id eodem temporis momento medios dies  
mediasq; noctes effici illis, qui sub eodem meridiano  
uersaneur. Solis exortus tamen propter latitudinis  
diuersitatem, non ijdem permanent. Præcedentium  
trium circulorum, cum ad Sphæra usus cognitio-  
nem, plus momenti quām reliqui in Sphæra designa-  
ti circuli habeant, eorum exactam cognitionem &  
diuisionem perdiscendam moneo, Ad diuisionum par-  
tes quod attinet quisq; horum, ut omnes Sphæra cir-  
culi in 360. portiones, quos gradus uulgò uocant di-  
uiditur. In hoc differunt, quod Aequator à prima  
Arietis parte dextrorsum semper continuata auxēsi  
numeri in fine usq; ultimi gradus Piscium excrescit,  
ubi & tricesimus & sexagesimus gradus finitur. To-  
tum circulum si primò in duo &qua quo ad numeros  
diuidas, queq; medietas 180. continebit: Si in 4. &  
secueris, prima quadra 90, habebit, duæ quadræ iun-  
ctæ 180. Tres iunctæ faciunt 270. gradus. Quatuor  
quadræ coniunctæ 360. constituunt. Est alia eiusdem  
diuiso, ubi signorum Zodiaci mēsura rem perficies.  
Sic duodecies triginta, id est duodecim signa Zodia-  
ci continebit. Tertia eiusdem diuiso est, ex 24. hora  
rum

## INTRODVCT.

rum quod diurnū spaciū uocant, spacio. Sic quatuor  
et uiginti, gradus quindecim, totum circulum absol-  
uunt, 6. horæ dantur uni Quadranti, 12. hora me-  
diatati. Meridiani et horizontis paulo diuersior est  
numerandi gradus ratio. In Meridiano enim ex op-  
posito utrinq; ubi Aequator decurrit ad utrosq; po-  
los, numerus ad nonaginta consurgit. Sic in hori-  
zonte ubi idem Aequator Sphæræ contactum facit,  
in utroq; latere, utrinq; ad Meridiani et horizon-  
tis intersectionem excrescit. Hæc ad unguem nosse,  
non parum ad usus Globi percipiendos profue-  
rit, ideo hæc fusiū tradere uolebam,

## De quatuor circulis sphæræ minoribus.

Minor circulus dicitur, qui sphærām in portio-  
nes inæquales secat: uel qui aliud centrum habet,  
quam mundi centrum:

Arcticus circulus, est quem polus zodiaci ad mo-  
tum primi mobilis circa polum mundi arcticum de-  
scribit.

Antarcticus, est quem alter polus zodiaci circa  
polum mundi antarcticum causat: atq; describit.  
Nunc upamus autem polum zodiaci undecunque

## INTRODVCT.

ab ecliptica Aequidistantē. Sunt enim poli eclipticæ axis eclipticæ extremitates. Et quanta est maxima solis declinatio( de qua suprà diximus ) tanta est polo Zodiaci à polo mundi distantia.

Tropicus Cancri, est circulus minor, quem sol in principio Cancri existens admotum primi mobilis describit. Dicitur etiam tunc solsticium quod sol non ultrà ad Septentrionem procedat. Distat ab æquinoctiali gradibus 23. minutis 30.

Tropicus Capricorni: qui & Brumalis dicitur, is est, qui ultimo à sole describitur uersus Austrum, in quo brumalem reciprocationem facit, diemq; efficit breuiissimam & noctem prolixiores. Fit autem hoc, cum sol principium Capricorni attingit. Cæterum id tempus Brumam uocant Latini scriptores.

## De quinq; Parallelorum interuallis. Cap. IIII.

Parallelus, quasi alternus, à quo lineas æquè distanteis parallelas uocamus, ideoq; segmenta mundi, quæ nos circulos dicimus, Græci παράλληλαι nominant. Quinq; itaq; duntaxat æquidistantes circuli sive παράλληλοι in sphera describi solent, quod tamen non eo ualeat, quasi iij soli in mundo æquidistantes sint, quippe cū sol quotidie æquidistantem Aequatori circulum (quod sensu animaduerti licet) mundi

## C O S M O G R A P H .

mundi rotatu peragat. Non tamen hi omnes in sphæram adhibetur, quia non adeò utiles ad prima Astrologiae rudimenta existimati sunt. Quinq; uero & equidistantieis circuli, ob certa compendia, que Astrologiae & Geographiae tyronibus adferunt, optimo iure in spharam sunt adhibiti, scilicet Septentrionalis, Solstitialis, Aequator, Brumalis & Antarcticus. Cum autē circuitus maior in sphera sit trecentorum & sexaginta graduum: & Quadrans nonaginta: manifestum est, & aquinoctiale à polis mudi 90. gradibus distare: quae est quarta pars circuli. Si rursus à gradibus 90. subtractaveris gradus 23. minuta 30. (que est maxima solis declinatio, seu quod idem est, distantia tropicorum ab aquinoctiali) qui remanent gradus 66: minuta 30. manifestant distantiam tropicorum à polis mundi, & per consequens circulorum polarium ab aquinoctiali. Rursus si à gradibus 66. min. 30. maximam tropicorum distantiam ab aquinoctiali subtractero relinquetur qualitas interstitiij 43. grad. inter tropicum Cancri & circulum arcticū: & eadē distantia est inter tropicum Capricorni & circulum antarcticum.

De dupli dissectione Mundi ac eius motu. Cap. V.

Hactenus sphærae mundi, rotunditatem & circulorum diuisionem recitauimus. Reliquum est,

## COSMOGRAPH.

est, ut de motu ac dupli*c*i eius partitione agamus. Mundus itaq*ue* bifariā diuiditur, secundū accidēs, & secundū substantiā. Primo secundū accidentis, in sphēram rectā & obliquā. Sphēram rectā uocamus, ubi uterq*ue* polus horizonta comingit, & æquator supra caput apparet, ut in longo tractu Aphricæ & Asie nusquam in Europa. Recta dicta, quoniam illorū horizon intersecat æquinoctialem, & intersecatur ab eodem ad angulos rectos sphērales, ita ut quaterni anguli recti ac æquales efficiantur. Sphēra obliqua est, dum alter polorum uisui patet, alter uero semper deprimitur, ut nobis in tota Europa degentibus. Id quoq*ue* scitu dignum est, ne nominū uarietas obsit, ne modo sphēram, sed & orbem, horizonta, finitorem aut finientem, rectum aut obliquum dici. Hoc pacto enim loquimur, Germani in orbe aliquo sunt: finitorem, sphēram, aut mundum obliquum habent. Nomen sumptum est ab obliquo incessu siderum. Solis enim globus obliquo transitu per aëra fertur ab ortu in occasum, uel quod illorum horizō intersecat æquinoctialem, & intersecatur ab eodem ad angulos imparēs & obliquos.

Mundus iterum in duo diuiditur secundum essentiam, in ætheream regionem & elementarem. Elementaris quidem alterationi cōtinuae peruvia existēs, in quatuor diuiditur, s. in terram, aquam, aërem & ignem

## INTRODVCT.

ignem. Est enim terra tanquam mundi centrum in medio omnium sita, circa quam aqua : circa aquam aer: circa aerem ignis illuc purus & non turbidus, orbem lunae attingens . Omnia etiam preter terram mobilia existunt : quae ut centrum ponderositate sui magnum extremonum motum & equaliter fugiens rotundæ sphærae medium possidet,

Circa elementarem quidem regionem ætherea regio lucida à variatione omni sua immutabili essentia immunita existens , motu continuo circulariter incident. & haec à philosophis quinta nuncupatur essentia , cuius decem sunt orbes . In insimo itaque orbe luna radijs solis accensa uelociore ambitu signiferi partes 28. ferè dierum spacio lustrat . Deinde Mercurij stella signiferi ambitum peragit trecentis sexaginta quinq; diebus, ab sole nunquam absistens parti bus 28.longius. Tertius orbis secum rapit stellam Veneris , quae etiam, non nisi certo breuiq; à sole spacio abscedit: & cognomina mutat, antecedens cum aequinoctiali sequens . Quando solem antecedit , aut ante eum oritur, Lucifer aut φωσφός nuncupatur: εαντεξαιρεσθαι aut uester , quando solem insequitur , atque post eum occidit . Eandem uocem Vergilius usurpat, eo loco: Venit Hesperus, ite capellæ: id est, cerne incipit, non oritur. Nam Hesperus nunquam in oriente conspicitur , sicuti nec Lucifer in occidente.

## COSMOGRAPH.

Eius orbis anni ferè spacio circuagitur, ab sole nunquam absistēs partibus sex atq; quadraginta longius Nunc medio spacio, Solis globū constanti incessu aduersus decimi orbis celeritatem niti uidemus, & compleat cursum suum sub ecliptica in spacio unius anni, quod spaciū est trecenū sexaginta quinq; ferè die rum cum quarta diei parte. Quintus orbis cum infixo sidere Martis signiferi ambitum ab occasu in ortum lustrat duobus annis. Sextus Iouis stelle est, circumagitur annis duodenis. Septimus proximusq; firmamento, Saturni sydus circumagit, & omnes zodiaci partes, annis tricenis ab occasu in ortum metitur. Octauus orbis firmamentum est, suo ambitu Saturni orbem comprehendens. In eo omnes quas cernimus stellæ, præter septem iam enumeratae, quæ erroneæ sunt, continentur. Et mouetur triplici motu: Primo ab ortu in occasum uelocitate extremi orbis. Secundo obliquo incessu ab occasu in exortum uirtute noni. Præter istos tertium ac proprium sibi uendicat, quem accessus & recessus motum, aut trepidationis nuncupauere. Hic ab æquinoctiorum notis in octauo orbe, circa æquinoctia noni fit. Nonus orbis inter extreum octauumq; medius, ab exortu in occasum quotidie cum decimo uoluitur. Præter hunc alium habet proprium peculiaremq; sibi, quo obliquo transitu ab occasu in exortum tedit. Hic incessus

## INTRODVCT.

cessus 49000, annorum spacio perficitur: quod tempus Platonici vel magni anni nomen usurpat. Est enim hic annus interuum, quo sydera omnia ad cunctum redeunt situm: quod eo tempore fieri credunt. Decimus extremusque orbis, omnia secum rapiens ab exortu in occasum uoluitur: cursusque uicenis quaternis horis peragit. Eo impetu omnia, quae in mundo sunt quotidie oriuntur et occidunt, praeter terrae superficiem orbis centrū, que moles suapte natura quiete amat: hic Luna, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, coelique sydera intra diei noctisque spaciū circumagit. Supra hūc extrellum mundi ambitū: quem astrologi primū dicunt. Empyreum cœlum esse aiunt. Id haud prætereundum, supra octauum orbem siue firmamentum nullas stellas aut sydera esse.

## Nomina et characteres Planetaryarum.

♄ ♃ ♀ ♀ ♀ ♀

Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercur. Luna.

De quinq; Zonis, terram habitabilem ab ægre habitabili distinguenteribus. Cap. VI.

Q Vinq; in cœlo zonas quatuor minoribus parallelis tropicis uidelicet duobus, et Arcti-

B S CO,

## COSMOGRAPH.

eo, Antarcticōq; circulo segregari rectē mathemati  
ci adserunt: totidemq; fascias in uniuersa terra (quā  
rotundam supponunt) constituunt. Strabo similiter  
in libri secundi, fine, coeli zonas quinq; ponit, quibus  
illae quinq; in terris fasciae respondeant, & eius nōmi  
nis esse ait Martianus lib. 6. Orbis (inqu t) terræ in  
quinq; zonas, siue melius fascias dico pro rerum di  
uersitate: discernitur, quarum tres intemperies mul  
ta, ob contrariorum nimietatem relegavit: nam duæ  
axi utrinq; confines, algore immenso & frigoribus,  
desertionis causas, pruinis mergentibus præbuere.  
Media uero flammis & anhelis ardoribus torridata,  
propinquantes animantium comburit accessus. Aliæ  
autem duæ, uitalis auræ halitu temperatæ, habitatio  
nē animalibus indulserunt: quæ quidē per totius ro  
tunditatem telluris incurvæ, tam supernum hemi  
sphærium, quam inferius ambiunt.

Quæ Mundi partes dextræ ac si  
nistrae appellantur. Cap. VII.

**N**on eodem modo Geographi, Astronomi, &  
Poëtae horizontem distinguunt, Dextram  
enim mundi plagam Astronomi, occiduam appellant  
eò quod Astronomus aspectus magis ad meridiem  
uergit, ubi uelociſimus stellarum cursus est: Nam cir  
ca polum uix stellæ moueri percipiuntur. Geogra  
phi.

## INTRODVCT.

phi. Septriionalem plagam respicientes (ubi Poli alitudinem querunt) Eo dextram mundi partem occupant, Ita enim globis & Ptolemæi tabulis terra depingitur.

## De quatuor Mundi regionibus sive plagiis. Cap. VIII.

**M**undus iterum in quatuor partes sive cardines diuiditur, quos secundo libro Gellius coeli limites sive regiones appellat. Sunt autem Ortus, Occasus, Meridies, & Septentrio. Vnde sol oritur, Oriens nuncupatur, aut Ortus: quo demergitur, Occidens, uel Occasus: qua decurrit, Meridiæ: ab aduersa parte, Septentrio. In hoc diuersi tantum, quod Meridies & Septentrio persistant, suntque immobiles: Ortus uero & Occasus, nunquam eodem modo se habent, propter sempiternam Solis in gradibus signorum per ascensum & descensum mutationem. Hinc Eratosthenes (ut Varro libro de re rustica primo ait) orbem in duas partes maximè secundum naturam diuisit, ad meridiem uersus, & ad Septentriones. A latere igitur coeli, in quo supra horizontem sol ascendit, ortum, in quo se mergit, occasum accipimus: qui licet eadem in parte, id est, in spacio, quod inter tropicos est, semper sint, tamen quia nunquam coniungit solem illinc oriri hodie,

## COSMOGRAPH.

die, unde heri oriebatur : nec è regione pari modo occidere. Sed aliquando æquinoctialis oriens dicitur, cum in circulo currit qui appellatur ἵστονότιος, aut ἵστημενος, aut Solstitialis oriēs, aut Brumalis, quæ sunt δεξιοὶ τροπαι Χειμεριναι. Similiter enim fit occasus eius aut æquinoctialis, aut Solstitalis, aut Brumalis.

*De Ventiis, quibus Prisci nauticali fuerunt usi, & mundi partibus, ex quibus spirant.*

### Cap. IX.

**Q**uoniam uentorum cognitio nonnihil meti, imò magnam utilitatem ad Cosmographiam habere dinoscitur : ideo quædam de ipsis & distinctione eorum trademus. In præcedenti igitur capite ostensum est, solem habere triplicem ortum & occasum, secundum binos tropicos & æquatorem: uidelicet æstualem, æquinoctialem & hyemalem. Et meridiei similiterq; ipsius Septentrionis utring; adsgnemus latera: his enim singulis proprij uenti correspondunt, qui ab illis partibus flant. Veteres itaq; nautæ duodecim præcipue uentorum nomina literarum memoria celebrarunt. In meridie quidem Austrum Latini ponunt, Græci γότορ, quoniam nebula sus

## INTRODUCT.

fus est, atq; humectus: votis enim Græcè humor no-  
minatur: ex diametro aut opposito uentus est, Lat-  
inè Septentrionarius, Græcè ἀπαρκτίος appellatus.  
Ex ortu & quinoctiali hoc est, ab oriente uerno flat  
uentus, à Romanis nauticis Subsolanus cognomina-  
tus, à Græcis ἀπιλιώτις. Sed qui ab æstiu & Solsti-  
tiali orientis meta uenit, Latinè hellefponius, καικε-  
ριος Græcè dicitur. Tertius uentus, qui ab oriente hy-  
berno spirat: Vulturnū Romani uocant, Græci Ευ-  
γόριον appellant. His oppositi & contrarij sunt alij  
tres occidui. Ex brumali occasu uenientem Latini  
Aphricum, Græci λύθος appellant. Ab occasu solsti-  
tiali flantem Latini Chorum, Græci ἀργέσκη uocat  
Medius illorum Fauonius, qui Græcè ζέφυρος uo-  
catur aduersus Subsolanum flat. Inter Septentrionem  
& Solstitialē exortum Latini Aquilonem, Græci  
Βόρεας locant. Boreas autem & πόλης Βωάριος, hoc est,  
à uociferando dicitur. Inter Austrum & Brumalem  
exortum Latini Euroaustrum, Græci εὐρώνοτος po-  
nunt. Austro deinde & Africo, Latini Euroafricum,  
Græci uero λυγόνοτος interponunt. Inter Septen-  
trionem tandem & Chorum Latini Circum, Græci  
Δεκατηνίας ponunt.

Septen-

COSMOGRAPH.

SEPTENTRIO.

Boreas	Βορέας
Aquila	Αρκτούρος
πτερόεστρος	πτερόεστρος
Septentrio	Σηπτεντρίος
Spirans	Σπεριάντης
Circius	Σεκουάνας

Hellefpon.

κακίας	
Subsolanus	απηλιώτις
	βέφυς
Vulturnus	Αφρίκιος
εῦρος	

Chorus	Χορός
	απηλιώτις
Fauonius	Φαονίος
	ζέφυς
Aphricus	Αφρίκιος
Lix	Λίξ

Ευρωπός	Ευρωπός
Euro aufer	Ευρωπός
vōtōs	Ευρωπός
Auster	Ευρωπός
λιβηνός	Ευρωπός
Euro Aphr.	Ευρωπός

MERIDIES.

De longitudine terræ locorumq;:

Cap: X.

**L**ongitudo loci sive habitationis, est Aequatoris, uel sibi æquidistantis circuli segmentum, meridiano loci eiusdem, & fortunatarum insularum meridiano comprehensum. Quia ueteres Geographi superficiem terræ describere, & ex stadiis molocorum intercedinem inquirere uolentes, posuerunt primum longitudinis gradum in occidente: hoc

## INTRODVCT.

hoc est, in fortunatis insulis, quæ nunc ab Hispanis,  
magne Canarie appellantur: deinde secundum or-  
dinem numerorum in ortum telluris ambitum depin-  
ixerunt, & meridianis distinxerunt. Est autem Me-  
ridianus in terra circulus, qui per terræ polos & lo-  
cum tuæ habitationis ducitur, in quem enim cum sol  
incidit meridiem efficit omnibus habitatibus sub illo  
meridiano, unde gradus mensurantes arcum Aequa-  
toris inter primum longitudinis gradum, seu pri-  
mum meridianum, qui occasum solis claudit, & me-  
ridianum qui transit per locum tuæ habitationis,  
gradus longitudinis tuæ habitationis uocantur. Me-  
ridiani itaq; semper mutantur cum ab ortu in occa-  
sum, & econtra progreditur, ad Austrum uero Bo-  
reamue quantumuis progreditur semper idem meri-  
dianus seruatur.

## De latitudine terræ.

### Cap. XI.

**L**Atitudo terræ uel habitationis, est arcus meri-  
diani inter Aequatorem & Zenith capitum in-  
terceptus. Zenith, est punctus qui nobis supra uer-  
ticem capitum eminet. Porro latitudo terræ semper æ-  
qualis est altitudini seu eleuationi poli supra Hori-  
zontem: quadam tamen ratione inter se differunt.  
Nam eleuatio seu altitudo poli, est arcus meridiani  
inter

COSMOGRAPH.

inter polum mundi & horizontem interceptus. Latitudo uero loci, est arcus meridiani inter Zenith et pitum & Aequatoris circulum contentus.

Quomodo latitudo regionis siue altitudo poli per quadrantem, omni die totius anni sit obseruanda.

Cap. XII.

VSVS QVADRANTIS,

**O**bijce leuam quadrantis pinnulam ipsi soli ridenti, precise quando tangit meridianum, demisso libere perpendiculari, deinde leua paulatim aut deprime quadrantem, donec radius solaris pertranseat subtiliora pinnularum foramina. Quo facto, supputa gradus limbi ab numerorum initio, ad filum ipsum siue perpendicularium: nam tanta erit Solis super horizontem altitudo: quam serua. Deinde quære signum & gradum Zodiaci in quo mouetur sol eodem die, ex Ephemeridibus, vel ex aliquo instrumento. Quod si sol in Septentrionali quopiam signo inuentus fuerit, declinationem eius ab æquinoctiali ex sequenti tabula cognosce, quam à solis altitudine meridiana surripe & patebit eleuatio æquatoris. Quæ rursus à 90° gradibus sublata latitudinem tuæ regionis siue elevationem poli relinquit.

Quod

## INTRODVCT.

Quod si sol per meridionale graditur signum, declē nationem solis ex tabula inuentam altitudini meridiānae adde, & prodibit eleuatio æquatoris. Quæ, ut iam dictum est, à 90. reiecta, latitudinem regionis siue elevationem poli manifestabit.

## VSVS TABVLAE.

Cognito loco Solis, eius declinationem ab æquinoctiali sic inuenies. Quære signum in quo Sole est dato die in capite uel in pede, tabulæ. Si in capite tabulæ fuerit inuentū: quære gradū eiusdē in linea de scendentī aut in linea ascendentī, si solis signum in calce tabulæ eiusdem repertum fuerit. Numerus igitur graduum et minutorum, quem in angulo communi inuenieris, erit declinatio solis quæsita.

Tabula declinationis Solis per omnes grad. Eclipt.

	Aries	Taurus	Gemini	Signa Septent.
	Libra	Scorp.	Sagitta.	Signa Merid.
G.	G.M.	G.M.	G.M.	G.
O.	0.0	12.16	20.38	50
1	0.26	12.37	20.40	29
2	0.52	12.58	21.0	28
3	1.18	13.19	21.11	27
4	1.44	13.40	21.21	26
5	2.10	14.0	21.31	25
6	2.36	14.20	21.40	24
7	3.2	14.40	21.49	23

## COSMOGRAPH.

G.	G.M.	G.M.	G.M.	G.
8	5.28	14.59	21.58	22
9	5.55	15.18	22.6	21
10	2.19	15.37	22.14	20
11	4.45	15.55	22.21	19
12	5.10	16.15	22.28	18
13	5.38	16.31	22.35	17
14	6.0	16.48	22.41	16
15	6.25	17.5	22.47	15
16	6.50	17.22	22.52	14
17	7.15	17.38	22.57	13
18	7.39	17.54	23.2	12
19	8.5	18.10	23.7	11
20	8.27	18.25	23.11	10
21	8.51	18.40	23.15	6
22	9.15	18.55	23.18	8
23	9.39	19.9	23.21	7
24	10.2	19.25	23.25	6
25	10.25	19.36	23.25	5
26	10.48.	19.49	23.27	4
27	11.10	20.2	23.28	5
28	11.32	20.14	23.29	2
29	11.54	20.26	23.30	1
30	12.16	20.38	23.30	0
Virgo	Leo	Cancer	Sig. Septentri.	
Pisces	Aquar.	Capric.	Sig. Meridion.	

## INTRODVCT.

In exemplari supputatione rem intellectu faciliter rem reddemus. Ponatur quod solis altitudo meridiana sit 61.gra.23.mi. Gradus solis in quo dato die mouetur sit 6. Leonis. Declinatio eius ab æquinoctiali circulo est 19.gr.23.m. septentrionalis. Subtrahe igitur 19.g.23.mi. ab altitudine solis meridiana 61.gr. 23.mi. & remanet elevatio Aequatoris in circulo meridiano 42.gr. Ea dempta, ex quadrâte, hoc est, ex 90.gr. remanebit 48.gr. quæ sit a regionis latitudo.

## De longitudine Regionum, Oppidorum, Locorumque inuestiganda.

### Cap. XIII.

**L**ongitudinem regionum aut ciuitatum sic inuenies, Considera per tabulas Eclipsum alicuius note longitudinis, initium Eclipsis lunaris, & in alto oppido cuius longitudo tibi ignota fuerit, obserua horam & eius minutum ad principium eiusdem eclipsis. Quod si initium eclipsis ex tabulis oppidi nota supputatum, & principium eiusdem, oppidi ignota longitudinis in horis & minutis concordauerint ambo oppida eandem habent longitudinem, & sunt sub uno meridiano, ita quod inter ipsa nulla est distantia longitudinis. Si autem initium eclipsis lune per Astrolabium obseruatum fuerit plus in horis &

## COSMOGRAPH.

minutis quam initium per tabulas computatum aut  
contraria oppida diuersos habent meridianos, et di-  
uersam longitudinem. Quam sic cognosces, subtrahere  
numerum horarum et minutorum minorem a maio-  
ri, et id quod remanserit, dicitur differentia tempo-  
ris unius oppidi ab alio. Accipe igitur pro qualibet  
hora 15. gradus et pro quibuslibet quatuor minutis  
temporis 1. gradum, et pro quolibet minuto tempo-  
ris 15. minuta gradus. Tandem adde gradus gradibus,  
et minuta minutis, et collectu, longitudinem oppi-  
dorum propositorum indicabit. Inde etiam liquet,  
quod duo loca quibus idem lunaris defectus, eodem  
conspicitur tempore, sub uno existunt meridiano. Et  
locorum duorum, quibus idem lunae defectus ante me-  
ridiem, diuerso uidebitur tempore, orientaliorem esse  
eum, cuius tempus defectus ante meridianum minus ex-  
titerit. Et duorum locorum quibus idem lunae defe-  
ctus post meridiem, diuerso uidebitur tempore, eum  
rursus esse orientaliorem, cuius tempus postmeridia-  
num quo luna deficit, maius fuerit. Et si lunae deliqui-  
um uni duorum locorum in meridie, alteri uero  
ante meridiem uideri, ille locus erit orientalior, cui deli-  
qui lunae in meridie uidebitur. At ubi lunae defectus,  
uni duorum locorum in meridie, alteri post meridi-  
em conspicietur: ergo ille locus orientalis existit, cui  
lunae deliquum post meridiem uidetur. Similiter lu-

## INTRODVCT.

ne deliquio conspecto, apud unum duorum locorum post meridiem, apud alterum uero ante meridiem ille rursus orientalis existit, qui lunarem defectum post meridiem intuetur.

Vt Arbilis urbs Assyriæ orientem uersus, habuit Eclipsim lunæ hora quinta, quando Carthago occidentem uersus hora secunda. Tribus ergo horis distant, gradibus 45. autore Ptolemaeo lib. 1. cap. 4. Quia autem uia locorum situs in longitudine & latitudine deprehendantur, Ptolemaeus obscuris quibusdam tetigit uerbis. lib. 1. cap. 2.

*De partibus terræ & earum longitudine ac latitudine.*

## Cap. XIII.

Tota terra Ptolemaeo cognita habet latitudinem 80. graduum, longitudinem 180. hæc quoque terminari dixit à quatuor orbis partibus terra incognita quamvis plerisq; in locis Oceano intercepta, uidelicet ab ortu solis terra incognita, quæ populis orientalibus maioris Asiæ Sinarum, s. atq; Serum adiacet.

A meridie similiter terra incognita quæ Indicum pelagus cingit, quæ ue amplectitur meridionalem Aethiopum regionem Agisimbam nominatam, ab occasu etiam terra incognita, quæ sinū Aphricæ Aethi

## COSMOGRAPH.

opicum cingit, & deinde Occidentali Oceano, qui ultimas occidentis partes alluit! A Septentrione Oceano qui insulas Britannie circumpleteitur, & partes Europæ maximè Septentrionales claudit, præterea limites reliquos habet terram incognitam, quæ partibus Asie maximè Septentrionalibus imminet Sarmatia &c. Scitæ atq; Serum. Ii sunt termini habitabilis nostræ à Ptolemæo descripti. Nunc autem multò amplior latitudo & ad Septentrionem & ad meridiem, maiorq; longitudo ipsius cognita est Americi Vespucij aliorumq; lustratione, compertumq; est ipsam uelut quandam ingentem insulam ab omni parte Oceano ablui ac circumnavigari. Hæc & si unica sit in tres tamen partes ueteres illam distinxerunt, quarum præ magnitudine prima est Asia, secunda Aphrica, tertia Europa. Asia coniungitur Aphricæ per Hissum Iudaicum, seu per dorsum Arabiæ coarctatum inter mare nostrum & sinum Arabicum. Europæ & Asie coniunctio fit per dorsum quod inter Paludem Meotim & Sarmaticum Oceanum excurrit super Tanais fluuij fontes. Aphrica nusquam per se Europa coheret, mari nostro inter utrasq; interiacente. Europa ab occidente mare Atlantico, à septentrione Britannico, ab oriente Tanai fluuio, Meotide. Palude & mari Pontico, à meridie mari mediterraneo quod nostrum appellatur clauditur. Aphrica ab occi-

## INTRODUCT.

occidente mari Atlātico, à meridie Oceano Aethiopi co, à sepētrione mari Mediterraneo: ab ortu H̄iftmo Iudaico. Asia quæ cæteras magnitudine et opibus uincit, ab occidēte habet eosdē terminos, quibus Europa & Aphrica ab oriēte clauduntur, à Septentrione terminatur Oceano Scythico, ab Oriente Eoo orientalique Indico, à meridie meridionali Indico & Rubro.

Non solū autem prædictæ tres partes nunc sunt latius lustratae, uerū & alia quarta pars ab Americo Vesputio sagacis ingenij uiro, inuenta est. Quam ab ipso Americo eius inuentore Amerigen quasi Americi terram sive Americanam appellari uolunt. Iſiūs terræ pars Aphricæ opposita propinquior est Continenti nostræ habitabilis, nec tamen propinquius ad eam accedit, quam 20 gradibus uel citra. Hunc in modum terra iam quadripartita cognoscitur, & primæ tres eius partes continentes sunt, quarta Insula, cum undequaq; mari circundata conspicatur. Trium in super partium terræ Priscis notarum cognitionem Ptolemaeus tradidit in 26. tabulis, quarum 10 sunt Europæ, quatuor Aphricæ & duodecim Asiæ, quas autem & quot regiones quælibet tabularum contineat, & in quo libro à Ptolemaeo tractantur ex sequentibus facile cognitu est.

IN

COSMOGRAPH.

IN EVROPA PROVINCIAE  
seu Satrapia note triginta & quatuor,  
tabulis decem.

EX SECUNDO LIBRO PTOLOMÆI.

In prima Tabula Europæ.

Hibernia Insula &

Albion insula Britannica nunc Anglia.

In secunda Tabula Europæ

Hispaniarum scilicet Betica nunc regnum Granatæ.

Lusitania nunc Portugalia . Tarraconensis nunc  
Catalonia.

In tertia Tabula Europæ.

Gallia Aquitania nunc Francia & Burgundia.

Gallia Lugdunensis nunc Francia, Normandia, Bri-  
tannia minor & Thuronia.

Gallia Belgica nunc Picardia, Lutzelburgia, Lot-  
tringia, Burgundia, Alsacia & Suicia nec non Rhi-  
nenses. Gallia Narbonensis nunc prouincia uel Del-  
phimatus.

In quarta Tabula Europæ.

Germania magna que continet, Franconiam, Vestfalia,  
Hassiam, Saxoniam, Marchiam, Thuringiam,  
Misniam, Slesiam, Murauiam, Bohemiam & Voyt-  
landia.

In quinta Tabula Europæ.

Rhetia nunc Suevia      Vindelicia nunc Bauaria  
Nori-

## INTRODUCT.

Noricum etiam dicitur Stiria. Pannonia superior  
nunc Austria. Pannonia inferior nunc Hungaria.  
Illyris nunc Sclauonia. Dalmatia.

## EX TERTIO LIBRO.

In sexta Tabula Europæ.

Italia. Cyrrnos seu Corsica Insula.

In septima Tabula Europæ.

Sardinia Insula & Sicilia.

In octaua Tabula Europæ.

Sarmatia Europe, nunc Polonia, Masouia, Lithuania,  
Curlandia. Liuonia, Russia & Gottia.

In nona Tabula Europæ.

Iaziges metanaste, nunc pars Hungariae ultra Danubium in septentrionem & orientem porrecta.

Dacia nunc Transyluania & Valachia, Myssia superior nunc Seruia, Myssia inferior partim Bosna & Bulgaria, Thracia nunc Turcia, Chersonesus.

In decima & ultima Tabula Europæ.

Macedonia, Epirus nunc Romania, Achailia.

Euboea insula Nigropont, Peloponnesus nunc Morea, Creta insula nunc Candia.

## EX QVARTO LIBRO PTO-

lemei prouincie Aphricæ undecim, in  
tabulis quatuor.

In prima Tabula Aphricæ

Mauritania Tingitana, nunc Barbaria,

C S Mauri-

i. Aphrica

C O S M O G R A P H .

Mauritania Cæsariensis.

2. In secunda Tabula Aphricę  
Numidia, Aphrica minor.

3. In tertia Tabula Aphricę.  
Cirenaica quæ & Pentapolis, Marmarica, Libya,  
Aegyptus inferior.

4. In quarta Tabula Aphricę.  
Libya interior. Aethiopia interior  
Aethiopia sub Aegypto.

I N A S I A P R O V I N C I A E Q V A -  
draginta & octo, Tabulis duodecim. Ex  
quinto libro Ptolemæi.

*Asie. s.* In prima Tabula Asię.

Pontus & Bithynia.

Quæ propriae Asie dicitur Turcia.

Phrygia magna, Lycia, Galatia, Paphlagonia,  
Pamphilia, Cappadocia, Armenia maior, Cilicia,

2. In secunda Tabula Asię.  
Sarmatia Asiatica.

3. In tertia Tabula Asię.  
Colchis, Iberia, Albania, Armenia magna.

4. In quarta Tabula Asię.  
Cyprus Insula, Syria, Syria Palestina quæ uocatur  
Iudea. Arabia Petreia. Mesopotamia, Arabia deser-  
ta, Babilonia.

5. In quinta Tabula Asię.

Affyria,

INTROD V C T.

Assyria, Media, Susiana, Persis, Parthia.

Carmania deserta

In Tabula sexta Asię.

Arabia foelix, Carmania.

In Tabula septima Asię.

Hyrcania, Margiana, Bactriana, Sogdiana, Sacæ,

Scythia intra Imaum montem.

In Tabula octaua Asię.

Scythia extra Imaum montem, Serica regio.

In Tabula nona Asię.

Aria, Paropanisada, Drangiana, Arachosia, Gedro-

sia, In Tabula decima Asię.

India intra Gangen.

In Tabula undecima Asię.

India extra Gangen, Synarum regio.

In Tabula duodecima Asię.

Taprobana Insula.

Quæcunq; igitur gentes subiacent Zodiaco, ijs  
Sol fit supra uerticem à Boreā descendens ad Au-  
strum, ascendensq; similiter, & alijs quidem semel in  
anno, alijs uero bis. Sunt autē omnis pariter qui sub  
Zodiaco habitant ab occasu ad ortū Solis usq; nigri  
coloris, Aethiopes, & præcipue quæ sub circulo Ae-  
quinoctiali habitant, ij admodū nigrescunt: qui autē  
extra linēam perpendicularē Zodiaci degunt, re-  
missiores sunt colore, & in albedinem tendūt secun-  
dum

## COSMOGRAPH.

dum distantiae rationem, usq; ad Sarmatas Hypērba  
reas. Eadem est ratio Zodiaci ab utraq; parte Aequi  
noctialis, & Boream uersus & Austrum, usque ad  
Polos utrosq;

### De Parallelis circulis.

#### Cap. XV.

**S**ANè nec hoc prætereundum quod ultra prædi-  
ctos quinq; parallelos circulos, de quo ca. 4. di-  
ximus, alij & paralleli pro arbitrio scribi possunt,  
per singulos gradus. Verum Ptolemæus in suo libro  
Cosmographico 21. tantū scripsit, incipiēs ab Aequi  
noctiali uersus polum Arcticum, ita ut unusquisq; ab  
alio distet per horæ unius quartam. Eadem ratio est  
& ad Antarcticum. Quamuis Ptolemæus ille Pelusiā  
nus in magna sua constructione 33. posuit parallelos  
circulos. Aequinoctialis itaq; facit diem & noctem  
æquales semper, quoniam in eo tantum secat circu-  
lus Horizon omnes orbes æquidistantes Aequinoctia-  
li in duo media, ut satis cap. 5. ostensum est. Et sunt  
omnes portiones eorum quæ sunt supra terram simi-  
les & æquales portionibus quæ sunt sub terra. Vnu-  
quenq; autem orbiū ei æquidistantiū ab eo declina-  
torū, qui sunt preter ipsum in parte, tam Septentrio-  
nali quam meridionali, Horizon secat in duas portio-  
nes diuersas. Et erunt portiones quæ sunt supra ter-  
ram

## INTRODVCT.

nam eorum, qui sunt in latitudine meridionali minores eis, quae sunt sub terra, et erunt dies brevioris temporis noctibus. Sed quaeque portiones, quae sunt supra terram in latitudine Septentrionali erunt dies longioris temporis noctibus. Iam sequuntur paralleli cum gradibus latitudinis et horis longissimi diei.

1. Parallelus cuius longioris diei longitudo est 12. i. parallelus horarum cum quarta hora, quae sunt de horis aequalibus. Distat ab aequinoctiali ferè 4.g. 15.mi. Descripta supra Insulā Taprobanam, quae apud Ptol. in magna constructione Berbenis dicitur: 2. Parallelus, longissimus, 2. ma, dies habet 12.  $\frac{1}{2}$ . distans ab aequinoctiali est 8. gra. 25.mi. descripta super sinum Aualicū: 3. Parallelus lon.di. 12.ho. tres quartæ, latitudo ipsius 12.gr. 30 mi. descripta super sinum Adulicum: 4. Parallelus lon. 13:ho: Lati. 16.g. 27.mi. supra insulam Moe- roen: 5. Parallelus. Ho. 15.mi. 15.lat. 20.g. 14.mi. descri- pta per Nabathai: 6. Parallelus. ho. 15.  $\frac{1}{2}$  lat. 23.gr. 31.mi. 6. descripta per Syenen: 7. Parallelus. ho. 13. 45.m. lati 27. 7. g. 40.mi. descripta per Ptolemaiden quae in Thebai da est, quaeque Mercurij ciuitas appellatur.
8. Parallelus. ho. 14. latit. 30.g. 22.mi. descripta per in 8. feriorem Aegypti regionem: 9. parallelus. ho. 14.mi. 15. 9. lat. 33.g. 18.mi. descripta per medium Phenicen.
10. Parallelus. ho. 14.mi. 30.lat. 36. per Rhodū insulā. 10.
11. Parallelus. ho. 14.mi. 45.lat. 38.g. 35. per Smyrnē. 11.

## COSMOGRAPH.

- 12. Paral. ho. 15. lat. 40.g. 56. per Hellefponsum.
- 13. Paral. ho. 15.m. 15. lat. 43.g. 5.m. per Massiliā.
- 14. Paral. ho. 15. $\frac{1}{2}$ . lat. 45.g. m. 1. per Pontum.
- 15. Paral. ho. 15.m. 45. lat. 46.g. m. 51. per fontes
- 16. Danubij. 16. Paral. ho. 16. lat. 48.g. 32.m. per Boris-
- sthenis ostia. 17. Paral. ho. 16.m. 15. lat. 50.g. 15.m.
- 18. per paludes Meotidas. 18. Paral. ho. 16. $\frac{1}{2}$ . lat. 51.g.
- 30.m. supra Australissima Britanniae.
- 19. Paral. ho. 16.m. 45. lat. 52.g. 50.m. descripta.
- 20. supra ostia Rheni fluuij. 20. Paral. ho. 17. lat. 54.g.
- 1.m. descripta per egressiones Tanais.
- 21. Ultimus paral. ho. 17.mi. 15. Latitudo ab Ae-
- quinoctiali 55.gradiu, descripta super Brigantium.

## De Climatibus.

### XVI.

**C**LIMA spacium terræ est inter duos Parallelos comprehensum, in quo per dimidiam horam accedit variatio longissimi diei, ac ita evenit ut ratio climatum dupla sit ad parallelos, quoniam paralleli per quadrates distant. Climata uero per horæ unius partem dimidiam. Ceterum tam paralleli quam climata nomina sua sortita sunt à locis insignioribus, per quæ transeunt, aut quæ comprehendunt. Quod sic intelligendum est, Clima est spacium terræ inter duos Parallelos seu Aequidistantes interceptum,

## INTRODVCT.

in quo porrectissimi diei ab initio climatis usq; ad finem est dimidiæ horæ uariatio, quia elongando ab ipso Aequatore (ut in præmisso cap. ostensum est) fiunt dies semper inæquales. Ideoq; quanto plus clima seu regio climatis elongatur ab Acquinoctiali uersus Septentrionem ad Meridiem, tanto sunt dies longiores noctibus. Climata siue illas portiones denominarunt ueteres astrorum periti, ab insigni aut urbe aut flumio, uel monte, ut ex sequentibus patebit.

Primum dicitur dia Meroës, quia medium primi climatis transit per Meroëm, quæ est ciuitas Aphricæ, & sic de cæteris intelligendum est.

Primum Dia Meroës ciuitas Aphricæ.

Secundum Dia Syenes ciuitas Aegypti.

Tertium Dia Alexandrias, Metrop. Aegypti.

Quartum Dia Rhodu, Asia minoris Insula.

Quintum Dia Rhomes, urbs Europæ notiss.

Sextum Dia Boristhenes fl. mag. Sarmatiae.

Septimum Dia Ripheu, mons in Sarmat. Eu.

Climata ad merid. Ptolem. nō posuit, cum illud terræ quodcumq; est, uix aut ægrè habitatum existimauit.

Cæterum ut hic denominata sunt climata Sept. pariteraq; modo propter terram nuper inuentam, in parte meridionali appellari possunt Græca particula & cœti, que sonat, contra, Latine.

Primum

COSMOGRAPH.

Primum		Anti dia Meroës
Secundum		Anti dia Syenes
Tertium	Clima me-	Anti dia Alexandrias.
Quartum	ridio-	Anti dia Rhodu
Quintum	nale.	Anti dia Romes.
Sextum		Anti dia Boristhenes
Septimum		Anti dia Rhipheu.

In quo differunt, Insula, Peninsula,  
la, Isthmus, & continens.

Cap. XVII.

**A**B aquis igitur omnis terra quadrifaria secatur, aut sit Insula, aut Peninsula, aut Isthmus, aut Continens. Insula itaq; est ea pars terræ quæ à maioribus terræ partibus sciuncta undiq; aquis alluitur. Ut Rhodus, Sicilia, Corsica, Taprobana, Iava, America, Islâda. Peninsula seu Chersonesus, quæ plene Insula non est neq; Continens, sed undiq; ferè aquis clausa, aliqua tamē angustia continentii annexitur. Et sunt quatuor insigniores, Ut Peloponnesus, arx totius Græciae quondam dicta, nunc autem Morea dicitur, in Mari mediterraneo sita. Aurea Chersonesus, in mari Indico Meridionali. Cimbrica in mare Germanicum sepe extendit. Taurica Chersonesus, in Pontum Euxinum, circa Bosporum Thracium procurrit, ubi & Maeotis exonerat pontum, circa quam etiam

## INTRODVCT.

exonerat pontum, circa quam etiam Danubius can-  
tatisimus Rhetiam, Boiarum que olim à Romanis  
& Græcis Vindelia dicta est: utramq; Pannoniam,  
Datiam & Misiam præterfluens, pontum subit &  
emoritur. Isthmus dicitur terra inter duo maria con-  
clusa, proprie tamen iter ad Chersonesum porrigit.  
Ut Chorinthiacus inter Achaiam & Peloponnesum  
quem nauigabilis alueo Demetrius Rex, Dictator, Cæ-  
sar, C. Princeps, Domitius Nero infausto, ut omnium  
patuit exitu, incepto perfodere tētauerūt. De quib.  
lege Plin. naturalis historiæ li. 4. ca. 4. Dorsum Ara-  
biæ inter Sinum Arabicum & mare Aegyptiacum.  
Dania quæ dicit iter ad Cymbros, & tota Italia.  
Continens, dicitur omnis terra solida siue fixa, quæ  
nec Insula, nec Peninsula, nec Isthmus est: Sed tota si-  
bi constat & cohæret: quamuis interdum (quod  
nullius est momenti) sinibus maris fracta confici-  
tur: ubi Misnia, Saxonia, Boiemia, Franconia, Boia-  
ria, Datia, Thuringia, Pannonia, Suevia & cæt.

D Ecce

## COSMOGRAPH.

Ecce summariam diuisionem.

Omnis terra est.	Aut Insula.	{ America. Sicilia. Iava. Rhodus.
	Aut Peninsula.	{ Morea. Taurica Cher. Aurea Cher. Cimbrica Cher. Corinthiacus.
	Aut Isthmus.	{ Dorsum Arabi. Italia. Dania. Misnia.
	Aut Continens.	{ Pannonia Boiaria Saxonia.

De usu Tabularum Ptolem. & qualiter unius cuiusq; regionis, loci aut oppidi situs in illis sit inueniendus:

Cap. XVIII.

**I**nvestigaturus itaq; alicuius oppidi situm in tabulis Ptolemai. Eicias in primis gradus longitudinis & latitudinis ex abaco regionum, provinciarum, & oppidorū, qui frequenti dispositione hoc modo

## INTRODUCT.

modo ordinantur. Ut loco primo eorum nominibus  
scripta cernantur. Deinde in directo cuiuslibet loci  
sive oppidi scribitur primo ordine eius longitudo in  
gradibus & minutis. Secundo autem ordine eius la-  
titudo scribitur consimiliter in gradibus & minutis.  
Quibus habitis quere in tabula sibi competenti lon-  
gitudinis quidem gradus in capite tabulae seu par-  
te Septentrionali, consimiliter in pede seu meri-  
dionali parte. Gradus uero latitudinis & eius partes  
quere in reliquis duobus lateribus parte s. orientali  
& occidentali: Ut certior reddaris terminis signa  
delebilis adiicito. Deinde expande filum super pun-  
cta longitudinis in superiori & parte inferiori, filo  
sic inuariato, Fac ut alius aliud per puncta latitudinis  
filum extendat: locus in quo fila se interseauerint,  
erit locus aut situs oppidi illius aut habitationis, quem  
inuestigare optaueras.

Gratia autem lucidioris intelligentiae sequi-  
tur schema cum quibusdam locis, in  
quibus studiosus Geographie se  
satis exercere potest.

Templū Apollinis in Epiro. lon. 47. 30. lat. 37. 50.  
Larissa Ciuitas Macedoniae, lon. 50. 50. lat. 38. 8. 50.  
Athenæ C. Achaiæ, habet in lon. 52. 8. 30. lat. 37. 25.  
Corinthus C. Pelopōnesi. in lo. 50. g. 10. lat. 37. g. 0.  
Argos Ciuitas Pelopōnesi. lo. 50. g. 55. lat. 36. g. 20.

COSMOGRAPH.

De Perioecis, Antoecis, Antipodibus siue Antichthonibus, Periscijs, & Amphiscijs. Cap. XIX.

**O**Mnis igitur terra quadrifariam diuiditur: Autores enim puta Cleomedes & alij faciunt sub quolibet meridiano, & ad quemlibet punctum cuiusvis meridiani quatuor habitationes, habentes quandam inter se rationem seu proportionem. Quarum primam nos incolimus, etiam pro prima habitatione potest accipi quilibet locus seu punctus in toto terrarum orbe: altera habitat illi qui Perioeci, id est, circumcole appellantur. Tertiam uero habitationem Antoeci, id est, Anticolæ possident. Quartam & ultimam regionem seu habitationem homines, quos Antichthones siue Antipodes uocitamus, tenent.

Antipodes dicuntur qui nobis è diametro uestigia obuertunt, & similem cœli uerticē semper & què ut nos, uident. Et cum illis nihil cōmune habemus sed contraria omnino: quia cum nobis Sol æstatē efficit, illos dura hyems opprimit. Et cū apud nos dies habetur, Antipodibus certè nox efficitur. Cōtrà, quando illis dies est, nobis redditur nox. Quando nos diē agimus longissimum, apud illos nox longissima breuiissimaq; dies statuitur. Non itaq; dubites suauissime Lector, quòd Apostoli Christi inter se fuissent Antipodes,

## INTR O D V C T.

podes, qui cōuersis inter se pedibus stare solent: si Iacobus maior frater Ioannis Euangelistæ filius Zebedæi auram spirasset in Gallicia, ubi nūc corpus ipsius (ut dicunt) requiescit: sicut Thomas Apostolus in India superiori. Certè Indi (quia diametratür ferè) Hispanorū sunt Antipodes & uestigia Hispanis, & econtra, Hispani Indis obuertunt, & terrā & quē calcare solent, quamvis nō adeò præcise secundum dimetientem, tamen hac in re nihil distare uidentur, Antipodesq; dici debent. Hoc idem uerissimus ille Strabo, auctor non pœnitēdus adfirmat dicens. Antipodes inter se quodammodo nescij esse non sumus. De quibus lege Plinium naturalis historiæ lib. secundo cap. 67. Vo laterranum & omnes ferè Geographos.

### De Pericēcis.

Pericēci siue circumcolæ dicuntur, qui eodē sub meridiano, eodemq; parallelo circulo, manent. Cumq; illis communia ferè omnia habemus, quum eandē simul zonā incolimus, Et paria nobiscum agunt anni tempora s. Hyemem, Aestatem, Autumnum & Ver. Pariter dierum noctiumq; diuerstites, hoc est, incrementa & decrementa, & huiusmodi alia. Hoc tamen discriminis est, quod cū Sol nobis diē efficit, apud illos noctē esse ratio ipsa demōstrat. Tamē non eodem temporis momento occidit nobis Sol, & illis oritur.

### De Antœcis.

## COSMOGRAPH.

**A**ntœci siue Anticolæ dicuntur, qui in eodem cirkulo meridiano nostro lateri adstant, latitudinem Austrinam latitudini nostræ æqualem, consimiliter æqualem longitudinē habentes. Qui etiam paria nobiscum tempora agunt, sed non pariter.

### De Periscijs.

Periscijs dicuntur qui sub polis mundi constituti sunt. Ita dicti ratione umbræ: quia illis molarū more per medium anni circulum, umbra circumvoluitur.

### De Amphiscijs.

Amphiscijs uero dicuntur manentes sub æquinoctiali circulo, quos Sol quatuor umbris uerberat.

## SUMMARIA HABITATÆ TERRÆ DIVISIO.

**V**niuersitatem terrarum orbis, in tria dividitur, Europam, Aphricam, & Asiam. Ab occasu Solis & Freto Gaditano intranti ad dextram, Aphrica est ad Nili fluenta usq;: Ad sinistram ad Tanaim, Europa: ultra quicquid est, Asia est.

### Europæ descriptio.

Europa appellata ab Agenoris Phœnicum regis filia, quæ à Ioue ex Aphrica raptæ in Cretam abducta fuit, ab occidentis parte Atlantico Oceano terminata. A Septentrione Britannico & Germanico magno ab aduersa parte Mediterraneo pelago includitur.

## INTRODVCT.

ditur. Ab oriēte habet Tanāim, quē Scythæ Silim uocant & Mæotida quē ijdē Temeridan quasi matrē maris dicūt, & pontū. Terra eximiè fertilis naturā lē temperiē, cœlumq; satis clemens habet, frugū, uini & Arborū copia nullis posthabēda, sed optimis terris comparāda: est adeo amœna pulcherrimisq; urbibus, castris, uicis, & pagis exornata. Populorū gentiūq; uirtute, longē Asia & Aphrica præstantior: cæteris tamē terræ partibus minor. Latitudine nusquā 225. miliaria Germanica excedēs, nisi ubi circa mediā suę partē (quo magnis frontibus tā uersus meridiē quam uersus aquilonē in altū procurrit) duabus alis quibus draconis speciē reddit maximē extēta est. Longitudo ab amne Tanai ad Gaditanū fretum qua longissimē se expandit implet 750. fere Germana miliaria. In ea prima ab occidente est Hispania tripartita (à Hispania Græcis Iberia dicta) draconis caput representans: quæ ab antiquis scriptoribus in tres regiones diuiditur. In Beticā modo regnū Granatæ: Lusitaniā quæ & hodie Portugalia appellatur, ac Tarragonēsem, à nuperis aut Tarragonensis tractus Hispaniae inquinq; regna subdiuisus est: scilicet in Galliciæ regnū: Navarre regnū: Castiliæ quod Castellæ & Legionis dici tur regnū: Cathalaniæ & Arragonie. Proxima quæ Hispanis adiacet Gallia est siue Färacia, Comata uno nomine appellata ab Hispanis, pyrenæis mōribus ab exor

## C O S M O G R A P H .

tu autē Rheno flumio rapidissimo à Germanis seque stratur: reliquis uero lateribus oceano et pelago ab luitur, à Ptolemæ. in partes quatuor diuiditur, in Aquitaniā, Lugdunensem, Belgicam, Narbonensem, que Gebenna et Iura montibus ab reliquis Gallie partibus excluditur et ad pelagus usq; promittitur. Rhe num autē accolētes sunt Bassae et altae Germaniae post puli ab illis ad Sauromatas usq; Germania magna promissa est, ad Aquilonē Germanico oceano magno limite penē directo iungitur, nisi ubi Dania (quā hodie Daciā appellant) Chersonesum efficiēs prominet. Ab austro finitur alpibus, quas Ptole. poenas aut pœninas uocat. Ipsa haud ulli fertilitate terræ postferēda, circa montana argentiū ceteraque metalla procreat nec priuata est auro. Rheno, Danubio (qui septem Ostijs se in pontū exonerat) Necharo, Albi, ceterisque limpidissimis fluminibus irrigatur. Dicta autem est Germania à teutonico uocabulo Gareinmā: quasi uictrix multarū gentium. In ea prima gentiū est Suevia, deinde Franconia, Thuringia, Voytlandia. Spectat ad meridiē Vindelicia, deinde Morauia, cui iungitur Pannonia, huic Meſia prouincia ad pontū usque cū Danubio decurrens. In medio Bohemia, Hercinia sylua tanquā nativo muro undique cingitur. Versus aquilonem habitant Misnenses, Saxones, ab ijs Rheum uersus Westphalia, Hassia, Hartia, Phrisia, Hollandia,

## INTRODVCT.

Iandia, ultraq; Saxones, Holsacia, Silesia, Marchia,  
Mechelburgia, Pomerania quæ ad Sarmatas porrigi-  
tur. Sarmat à habitant Prussi, Liuoni, Russi, Mozzo-  
ui, Liuani, Poloni, Vualachi, Träfyluani. Deinde Da-  
cia est, super quā Thracia, quæ Græcia modo appellatur,  
habens in se particulares Regiones, Epirum,  
Achaim, Macedoniam, Moream &c. Sinum Adria-  
ticum cingunt Dalmatae, Illyri, in ipso flexu Histria  
ni & forum Iulij: ultrà quicquid est uno nomine Italia  
Italia dicitur: cuius Provinciæ sunt Campania, Cala-  
bria, Latium, Apulia, Tuscia, Umbria, Gallia toga-  
ta, Longobardia, Venetiana & Aconitana.

## Aphricæ descriptio.

Aphrica (quam Græci Libyam appellauere) ut  
Iosephus lib. anti. inquit, ab Aphro uno ex posteris  
Habrae de Cetura qui dicitur diuisisse aduersus Li-  
byam exercitum, & ibi deuictis hostibus consedisse.  
Incipit à Gaditano freto & finitur Aegypto, ab  
Aquilone, Mediterraneo coniuncta, ab Austro, Aethio-  
pico Oceano suscipitur. Habet regiones & prouin-  
cias Tingitanam & Cæsariensem Mauritania, Nu-  
midiam, Libyam, Carthaginem sem Bizantium, Cyre-  
naicam quæ Pentapolis dicitur, Aegyptū & Aethio-  
piam. Mauritania itaq; Tingitana à Tingis oppido  
dicta, habet ab oriente Maluam fluuiū, à Septentrio-  
ne, mari Italico & Gaditano freto alluitur, ab occi-

D S dente

## COSMOGRAPH.

dente Atlantico Oceano clauditur, ibi Abilis colūna  
et Heptadelphi montes, Cæsariensis Mauritania ha-  
bet ab occasu Tingitanā, ab oriente Numidiā, à Se-  
ptentriōne pelagus ultra ad Carthaginensem regio-  
nem ab Ampsaga Numidia est; Massinissæ clara no-  
mine, de quo Ouid. lib. 6. à Græcis autem appellata  
est Metagonitis terra, ubi Hippo regia et Aphro-  
disium ciuitates, accolæ mappalia: hoc est, domus  
pabulis perm̄utandis, quemadmodum Misnensium  
opiliones, plaustris circumferunt. Deinde Aphrica  
propriè dicta à cognomine totius regionis. Vbi Zeu-  
sis est: hic oppida, Carthago, Maxulla, Utica, Cato-  
nis morte insignis. Mox in ea Bizantium: quām Ly-  
bij Phœnices incolunt; Syrtim minorem contingens  
ubi Hadrumetis et Leptis ciuitates. Cynips fluuius  
et regio Tripolitana ubi Leptis media quæ et Nea  
polis cognominatur, et Syrtis maior. In intimo sinu  
Philenorum aræ. Ultra Cyrenaica prouincia eadem  
Pentapolitana dicta, habet uersus meridicm gentes  
Garamantum et Aethiopum: à Septentrione mare  
Lybicū, finis Cyrenaicus in oriēte est Cathabathmus  
oppidum, inde ad orientem Marmarica quæ Marco-  
tis Lybia appellatur. Huic cōtermina est Aegyptus  
regio Nili proxima, cui ab orientis parte iungitur  
Iudea, Arabia Petrea, et Eritreum mare, à Septen-  
trione Aegyptiacum, ab Austro Aethiopia est, regio  
pluvia-

## INTRODVCT.

pluuiarum omnino ignara, sed post aestiualem reci-  
procationem inundatione Nili amnis fœcundatur.  
Urbes eius insignes Alexandria totius Aegypti ca-  
put, Babylon olim Babulis & Noua Babylonia, mo-  
do Kayrus uel Alchayro : huic contigua Memphis,  
Sub Aegypto Aethiopia est. Tum ab oriente Troglo-  
ditica regio. Deinde uix homines magisq; semiferi;  
autore Mela, Aegypanes & Blemmiae quorum ca-  
pita abesse traduntur, Satyri sine tectis passim ac  
sedibus uagi habent potius terras quam habitent,  
Cynocephali, Colopedes, siue monoculi nigri & hor-  
ribiles sine capite.

Aliit & Aphrica Elephantos, Dracones, Rhinocer-  
otes, Tigrides, Basiliscos, & multa genera ser-  
pentum.

## Asie descriptio.

Asia tertia pars terræ ab Asio Manei Lidi filio  
dicta è tribus partibus tangitur Oceano, à meridie  
Indico Meridionali, à Septentrione Scythico, ab Ori-  
ente Eoo, ab aduersa parte habet Europam &  
Aphricā & pelagus quod inter ambas immisum est,  
In ea reperiuntur multiformes & mirae hominū effi-  
gies, et uarij gentiū mores, est præterea terra fertilis  
& temperata & omniū animaliū genere cultissima.  
Huius terra gentes, urbes insignes ad hunc modum  
se habent: Primo Asie caput est Pontus & Bythis  
nid,

## C O S M O G R A P H .

nia, deinde Asia propriè dicta, Phrygia, Cappadocia, Licia, Caria, Pamphilia, Myzia, Armenia, ubi Tigris & Euphrates fluuij in meridiem labentes exoriuntur. Post Cappadoces hominum primi sunt, qui unico uocabulo Pontici dicuntur. deinde Amazones. ad Tanaim Sarmatæ, Scythæ ultimi. Caspium sinum ambiunt Caspij, Medi, Hircani, sub his Parthi, Carmani, Persides iuxta sinum Persicum, Babylonii, Mesopotami, Syri. Spectant meridiem Arabes, & Sinum Arabicum possident. Ultra Parthiam Aria est, Paropanisus, Drangiana & Gedrosis, ultraq; eas Indi extra intraq; Gangem, Superiores ac Meridionales, ubi Plin. lib. 7. naturalis historiae multa hominū esse genera indicat: quæ humanis corporibus uesperetur. Produntur & in Scythia Arimasspi: uno oculo in fronte media insignes, quibus continuè bellū est cum Gryphis circa metallum. Sunt & in quadam Imai mōtis conuale homines sylvestres, auersis post crura planitis eximiae uelocitatis. In multis etiā montibus repetitur hominum genus capitibus caninis, pro uoce latratur edere. Item hominū genus qui monoscelli uocarentur singulis cruribus miræ pernicitatis ad saltū: Eosdēq; Sciopodas uocari, qui magno æstu humi iacentes resupini umbras se pedum protegant. Rursus homines sine ceruice oculos in humeris habentes. Circa fontem Gangis Indiæ Astamorum gentē sine ore: halitu

## INTRODVCT.

halitu tantum & odore uiuentem prodit, super hos  
Pigmæi narrantur, & uaria nascetum mirabilia &  
monstrosa hominum genera idem Plinius tradit.

## Americæ descriptio.

America : que nunc quarta pars terræ dicitur  
ab Americo Vespucio eiusdem inuentore nomen for-  
tita est, & non immerito: quoniam mari undiq; clau-  
ditur, insula appellatur. Ptolemæo autem & antiqui  
oribus, propter nimiam eius distaniam incognita per-  
mansit. Inuenta quidem est anno Christi 1497. ex  
mandato regis Castiliae: propter eius quoq; magni-  
tudinem Nouus mundus appellatur. In ea incole nu-  
di penitus incedunt. Anthropophagi sunt crudelissi-  
mi. In sagittandi arte certissimi, nulliq; obediunt. Do-  
minis ac regibus carēt. In utroq; sexu natatores ex-  
istunt fortissimi. Ferrū ceteraq; metalla non habent,  
sed piscium & animalium dentibus suas armant sagit-  
tas. In ea quoq; reperitur animal habens sub pectore  
uentrem quendam natuum quo foetus hinc inde se-  
cum fert, nec nisi lactandi gratia, promere solet. Cur-  
rendo sunt leues admodum atq; uelociissimi. Diuitiae  
eorum sunt uariorum colorum avium plumæ, ac la-  
pillorum quorundam multitudo, quos ornatus cau-  
sa ad aures & labia suspendunt. Uniones & aurum  
ceteraq; similia pro nihilo habent. In dando libera-  
liissimi, cupidissimiq; accipiendo perhibentur. Sanguine

## COSMOGRAPH.

nem quoq; in lumbis & tybiarum pulpis comminuntur. Alij defunctos cum aqua uictuq; inhumant. Alij uero morte luctantes in Bombiceis retiaculis inter duas arbores in syluam ingentem: apposito uictu suspendunt, & totā diem circa suspensum saltando consumunt. Cœlum, Solem, Lunā, & stellas adorant. Illorum domicilia campanarū instar fabrefacta sunt, folijs palmarum desuper contexta. Seminibus carent, sed arborum radices in farinam comminuant, & in panes conglutinant. Habet autem America insulas adiacentes quam plurimas, ut Parianam insulam, Isabellam quæ & tuba dicitur, Spagnollam in qua reperitur lignum Guaiacum quo utuntur nostrates contra morbum Gallicum. Accolæ uero Spagnolle insulae loco panis uestuntur serpentibus maximis & radicibus. Ritus & cultus istorum circumiacentium Insularum par est Americæ accoliarum cultui.

Summariam Terræ diuisionem, ex Apiani monumentis, hactenus recensiunis: par erat particularem, regionum, prouinciarum, locorum, fluiiorum, montium &c. eo loci referre, uerum ne in immensum cresceret introductorius liber, hisce pauculis contenti esse, atq; uberiorem fructum harum rerum cupientes, ad bonorum autorum monumenta Glareani, Vadiani, Apiani, Gēmæ Phrysiij, Georgij Rithameri, doctissimos libros lecitandos, remittere uoluimus.

Hoc

## INTRODVCT.


Hoc uno adposito, quod quosq; Geographie studio-  
sos, ad typum adeoq; exemplar Terreni orbis, ad  
Globum Cosmographicum subinde lustrandum, mo-  
neō, ibi enim quod uix longis ambagibus uerborum  
ex multorum libris addisces, pauculo temporis arti-  
culo explorabis, omnia ad oculum picturis expressa  
cernendo. Noueris, & hoc instrumentum Globum  
Cosmographicum, ea arte excudendum, & in usum  
studiosorum producēdum, me curasse, ut ex uno atq;  
eodem Instrumento, tam rerum cœlestium, quam ter-  
restrium, hoc est tam Astronomica quam Cosmogra-  
phica, commode addisci queant, hinc est quod uides  
passim insigniores aliquot stellas interseri necessari-  
os etiam in Sphera circulos, Aequatorem, Zodia-  
cum, & reliquos non solum pictura, sed iusta diuisio-  
ne esse elaboratos. Adiectis itaq; quæ Astronomicis  
adesse, additamenta solent globis, uidelicet Quarta  
altitudinis. Rota horaria, circulo positionis, Angu-  
lo sphærico &c. Ad hos & illos usus instru-  
ctum habes globum, haec ne ignoran-  
res, uolui.

E I N I S.

*Merci Conveyi*

- 1811 -





C

J544  
A642c

